

tendere usque ad partes Cipri et Hermenie, et eciam ad partes vestri Culfi sicut mihi videretur, ad persecutionem ipsius galee et aliorum qui vestram gentem dampnificassent. Nihilominus meo arbitrio reliquentes mittendi et non mittendi sicut videretur mihi convenire pro honore vestre magnificencie et bono et conservacione de hic, etc, ut in ipsis vestris litteris continetur.

Super quibus respondeo quod habito diligenti consilio cum consiliariis respectantes ad ea que prescripta sunt et ad statum et conditionem de hic reddentes nos certos quod habemus tales vicinos quod quoctiens invenirent nos impotentes omnino ad nostrum dampnum intenderent, et respectantes quod hic non sunt nisi tres galee armate ipsius domini Ruzerii Fuscarenii cum galee de Crete propter adventum ipsius domini Rugerii recesissent iam est diu; et si civitas et insula Nigropontis conservari debet, non potest conservare sine galeis propter continuos cursarios qui conversantur continue in hoc mari, qui interficerent et derobarent vestros homines navigantes, qui vestri si navigare deficerent in continentia terra non haberet victualia unde vivere posset, ita quod de necessitate opperteret relinqui civitatem; quia ipsam sine victualibus substinere non possemus. Considerantes etiam odium et voluntatem malam que est inter dominos et milites et feudatos insule, quod odium et mala voluntas tanta est quod nisi foret timore vestre dominacionis multociens se occidissent ad invicem, et si non sentirent nos ita potentes forsan iam debellassent ad invicem propter odium magnum quod est inter eos; et quia sicut alterutrum sanguine maculati quod si acciderit, quod nolit Deus, quomodo esset periculosum terre et insule propter malam viciniam quam habemus, vestra magnificentia satis potest discernere. Propter quas prorscriptas causas non fuit visum consiliariis meis nec mihi elongare dictas galeas a nobis, respectantes undique ad omne id quod redundare potest in maiorem honorem et bonum vestre magnificentie et salutem et conservationem terre vestre et insule.

Litteras vestras quas in Hermeniam trasmittitis, ego misi ipsas per columbetum vestrum dominis castellanis Corone et Morthone qui mittant ipsas vel in Cretam vel in Cyprum vel in Hermeniam, quum in partibus istis non utitur navigium quod vadat in Crete vel in Cyprum nec in Hermeniam.